



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

6ta Visitatio. Christus in Sacramento se nobis dat in pignus æternæ
gloriæ.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

*Christus instituit Eucharist. Sacramentum tan-
quam memoriale passionis ac mortis sue re-
spectu nostri & aeterni Patris in
bonum nostrum.*

Domine JESU, cum nullum potentius con-
tra peccata & tentationes sit remedium,
quam memoria & cultus continuus passionis ac
mortis tuæ, nullumque potentius ad Patrem
tuum æternum nobis conciliandum Sacrificium
quam incruentum illud tuum, quod per manus
Sacerdotis offertur, in cujus odoris suavitate
sibi maximè complacet. Ego cum Ecclesia in
unione omnium meritorum ejus dico: *Deus*
qui nobis sub Sacramento mirabili passionis tuæ
*memoriam reliquisti, tribue quesumus ita nos cor-
poris & sanguinis tui sacra mysteria venerari, ut*
redemptionis tuæ fructum in nobis jugiter sentia-
mus. Qui vivis & regnas &c.

6ta Visitatio.

*Christus in Sacramento se nobis dat in pig-
nus aeternæ gloriæ.*

Domine JESU, postquam sanguine tuo no-
bis emisisti cælum, & morte tuâ invenisti
claves regni cælorum, ejus velut arrham nobis
reliquisti corpus & sanguinem tuum in Eucha-
ristia. Hic das te nobis sub specie panis & vini
velatum, in signum, quod in cælo te facie ad
faciem perfruemur. Et de hoc eò magis certi-
ficamur, quia nos cibando corpore & sanguine
tuo

tuo præservas à peccatis gravibus, venialia minus, æstum passionum ac tentationum extinguis, & sic ad perseverantiam finalem, quam gloria æterna infallibiliter consequitur, commodissimam sternis viam. *Fac nos quasumus Domine, ita denuò cum Ecclesia rogo, divinitatis tue sempiternà fruitione repleti, quam pretiosi corporis & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat. Qui vivis & regnas &c.*

7^{ima} Visitatio.

U: hac omnia consequi possimus, innumeris Sacerdotibus dedit Christus consecrandi potestatem, & semper præsens manet in Sacramento Eucharistia.

Quo te induxit bone JESU amor tuus erga hominem? accepisti in incarnatione formam servi, ut eum redimeres. In Eucharistia lates sub velo inanimatarum creaturarum, quæ ne quidem substantiæ alicujus sed accidentium nomine veniunt. In vita amore nostri subditus fuisti Mariæ & Josepho, modò in cælis regnans Rex Regum & Dominus Dominantium obedis voci hominis, & prolatis consecrationis à Sacerdote legitimè ordinato verbis te sistis sub speciebus panis & vini. Et ut faciliùs omnia à te suprà enumerata bona consequi possimus, innumeris in toto terrarum orbe Sacerdotibus (etiam, si prò dolor mali sint, quod sanè stupendum est) potestatem quasi & imperium super te tribuis. Nec hoc tantùm in ordine ad illu-